



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. V. De Translatione Festorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

esse. Verbi gratia: Supponatur Semiduplex in Feriam quartam Cinerum, quæ est FERIA MAJOR, cadere. Hoc supposito, si in Tabella Occurrentiæ dicto modo numerus, in quo Semiduplex & FERIA MAJOR occurrunt, indagetur, inventus quartus significabit Officium de Semiduplici, commemorationem de FERIA faciendam esse, quod tamen falsum est, quia inter exceptiones mox subjunctas §. 1. indicatur, quodcunque Festum in die Cinerum occurrens transferendum esse.

TITULUS V.

DE TRANSLATIONE
FESTORUM.

I. **H**Æc materia, si ulla alia in Breviario, dignissima est, ut à Novis Sacerdotibus bene addiscatur. Etsi enim plerumque Directoria Diocesana ad manum habeant, quia tamen in his propria cujusque Ecclesiæ festa non notantur, facile sanè contingere potest, ut, si DEDICATIONIS, PATRONI vel TITULARIS Festa in Hebdomadam, in qua multa Festa alia occurrunt, incidant, ejusmodi Directorium propter varias Translationes faciendas per aliquot hebdomadas servire non possit; unde si Sacerdos regulas in Translatione observandas non calleat, plurimos sanè errores committat, necesse est: quas tamen si bene didicerit, etiam sine Directorio facile sciet, quo modo per totum annum Officia sint disponenda. Quatuor autem universim de hac materia Translationum scienda sunt. 1. Quæ Festa transferri possint, aut debeant. 2. In quos dies transferri debeant. 3. Quo tempore. 4. Quo ritu celebrari debeant Festa translata, de quibus omnibus seorsim breviter agendum est. Itaque

II. Q. 1. *Qua Festa transferri possint, aut debeant?*

R. Sola Festa Duplicia & Semiduplicia, & interdum etiam Dominica (si scilicet ea juxta Rubricas præcedenti hebdomade sit celebranda, uti quandoque contingit) ac Vigilia si in Dominicam incidat, tum enim in Sabbatum præcedens transfertur. Dies autem Octava, FERIA, & simplex Festum nunquam transferuntur, sed vel de ijs commemoratio facienda est, vel omnino omittuntur.

III. Q. 2. *In quem diem Translatio facienda sit?* R. Uni-

versim

versim loquendo *in proximam diem non impeditam* faciendam esse. Dies autem impedita in primis censi debet omnis dies privilegiata, id est, jus habens ad aliud Festum licet dignius excludendum, quæ in notandis Tabulæ Occurrentiæ subjunctis enumeratæ videri possunt. Deinde inter dies quoque impeditas numerari debent omnia Festa Duplicia & Semiduplicia cum Dominicis suo tempore celebratis (si enim anticipentur, ritu simplici celebrantur, atque adeò cedunt translatis) Dixi autem *Festa*: quia Dies infra Octavam propriè non sunt Festa, prout hîc sumimus, sed continuatio Festi, nec sunt dies impeditæ, nisi respectu Semiduplicis ad plures, quàm unum diem translatis, si enim infra Octavam occurrat, & eâ die impeditum sit, sequenti die celebrari debebit, si aliud Festum novem Lectionum in eundem non incidat.

IV. Q. 3. *Quo Ordine & Tempore Festa translata celebrari debeant?* R. Duas in hoc Ordine regulas observandas esse. Prima est: *Inter Festa translata diverse Classis semper dignius in ritu prius celebrandum est*: unde licet Duplex post aliquod Semiduplex translatum sit, prius tamen de illo, quàm de hoc Officium dicendum est. Secunda regula: *Inter Festa translata eiusdem Classis id prius celebrandum est, quod tempore prius translatum est*. Eiusdem Classis autem hoc loco censentur, quæ intra eandem speciem Semiduplicium, vel Duplicium majorum, minorum &c. continentur, licet alioqui in ordine ad commemorationes faciendas se mutuò dignitate superent, nam hæc majoritas dignitatis hoc loco non attenditur.

V. Q. 4. *Quo ritu Festa translata celebrari debeant?* R. Solitaria Festa eodem ritu celebranda esse, quo celebrata fuissent, si non essent translata. Si autem occurrant duo Festa eâdem die sub una ratione Festi in Calendario Romano, quorum alterum sit Patroni vel Tituli Ecclesiæ: v. g. S. Sebastiani, quod ordinariè cum S. Fabiano conjunctum celebratur, eo casu de Patrono Titulari tantùm dicendum est Officium, uti de Festo primæ Classis; Festum alterum verò transferendum est in aliam diem non impeditam, & sub ritu Semiduplici celebrandum, si quidem Festum hoc modo divisum, sub ritu Duplici vel Semiduplici alioqui ex præscripto celebrandum non erat primæ, vel secundæ Classis; i

hoc

hoc enim casu, socius, qui transfertur, retinet suum ritum: atque adeò Festum S. Jacobi translatum, quia S. Philippus alicubi Patronus est Templi, adhuc sub ritu Duplicis secundæ Classis celebrandum est, uti Gavantus *sect. 3. c. 10. n. 12. c. 13.* & Rubrica in tabula Occurrentiarum circa finem tradit. Curandum tamen, ut factâ hac separatione, Oratio, Lektionen & Evangelium cum Homilia congruant Festo, ita ut pro uno, non pro pluribus fiat Officium, & deficientibus proprijs ad communẽ Sanctorum recurratur, reservatâ Patrono potiùs, quàm Socijs oratione propria, & in numero singulari accommodatâ: pro Socijs autem sumatur de Communi, nisi contingat de Socijs fieri extra Octavam Patroni vel Tituli, quo casu nulla est variandi necessitas.

VI. Si occurrat eadem die Patronus Principalis loci, & Titularis Ecclesiæ Regularium in propria horum Ecclesia, Officium dicendum est de Patrono Loci, translato Titularis. Quod si hoc accidat singulis annis, assignanda erit dies sequens in perpetuum Titulari illius Ecclesiæ, nisi ex privilegio aliter fieri debeat. A fortiori cedit Patrono Loci aliud quodcunque Festum Regularium inferioris Classis.

VII. Atque hæc, quæ hæctenus dicta sunt, pleraque tum in ipsis Rubricis, tum in tabulis Occurrentiæ & Concurrentiæ indicantur. Verùm quia de Festis ad libitum nullam Rubricæ mentionem faciunt; hinc meritò aliquot de ijs dubia, quæ aliunde decidi debent, sunt exorta; quæ proinde breviter hoc loco velut proprio proponenda, & solvenda sunt.

VIII. Primò ergo dubitari potest, *an Festa ad libitum transferri perinde, ut Festa de precepto possint?* ad quod dubium P. Gobat app. 6. n. 39. absolutè affirmativè respondet ob decretum Congregationis Rituum 9. Jun. 1668. editum; verùm eadem Congregatio die 2. Decembris 1673. ex Mandato S. D. N. Clementis VIII. limitavit illud decretum, aliudque, quod in calce recentium Breviariorum refertur, edidit, quo decrevit, ut deinceps ejusmodi Festa ad libitum, si in diem Dominicam, vel Festum mobile, id est, nulli certo diei mensis affixum incidant, nequiquam transferri queant, sed eo anno omnino omittantur, quemadmodum hoc anno 1676. S. Canuto Regi in Dominicam incidenti evenit. Si
verò

verò in alios dies cadant, perinde ut Festa de præcepto transferantur.

IX. Secundò dubitari potest, *an Officia concessa ad libitum aliis Officiis de præcepto cedant?* ad quod dubium affirmativè respondent Gavantus f. 3. c. 10. n. 16. & Arnaudus tit. 10. & colligitur ex Decreto S. Congregationis supra ex P. Gobat citato, quod decernit, ut si Festum de præcepto, & Festum ad libitum simul transferantur, priùs de illo, quàm de hoc officium postea dicatur.

X. Tertiò dubitari potest, *an Festa ad libitum etiam inter dies impeditos censeri debeant?* v. g. an si Feriâ secundâ cadat Festum ad libitum, Dominicâ verò præcedente privilegiata duplex aliquod transferendum occurrerit, in tali caso Festum ad libitum cedere, atque adeò in alium diem transferri debeat? R. cum P. Gobat append. 6. n. 38. Festa ejusmodi ad libitum meritò etiam inter dies impeditos censeri, eò quòd ex una parte gratiæ ampliandæ sint; ex altera verò parte jus celebrandi tale Festum ad libitum verè etiam gratiæ sit, adeoque à quovis acceptari & usurpari queat. Atque in plurimas Diœceses in praxi observasse idem Author testatur.

TITULUS VI.

DE PATRONI ET TITULARIS SANCTI FESTO.

I. **P**atronus est, quem Episcopus cum Populo sibi Patronum elegit, vel quia primus ejus loci Episcopus, vel quia ibi humatus; vel quia civis ejusdem loci; vel quia aliter quando populum in necessitatibus mirabiliter juvit, vel aliis similes causas. Titularis autem Ecclesiæ dicitur, si cujus invocatione dedicata est Ecclesia.

II. Ut legitima sit Patroni electio, sequentes tres conditiones sunt necessariæ. 1. Ut eligendus in Patronum non tantùm sit Beatificatus, sed Sanctus ab universa Ecclesia cognitus. 2. Ut electio fiat per Secreta suffragia à Populo mediante Concilio generali illius Civitatis, vel loci; & consensus Episcopi & Cleri etiam jungatur. 3. Ut causa electionis à S. Congregatione examinata & approbata sit. Ita Decretum Urbani VIII, 23. Mart. 1630.

III. De